

Capitulum Tertium ITER BEROLINUM INCIPIAT

Aemilius pileum scholasticum deposuit et dixit: » Bonum diem, domini dominaeque. Vacatne fortasse una sedes?«

Certe una sedes vacavit. Et domina crassa, quae se ab sinistro calceamento liberaverat, quia illud premebat, ad vicinum, virum, qui terribiliter anhelabat, dixit: »Tales liberi bene educati hodie rari sunt. Si meae iuventutis reminiscor, per deum! Tum alii mores regnabant.« Ita dicens digitos pedis in sinistra impilia rhythmice movit. Quod Aemilius curiose inspectavit. Et ille vir anhelatu vix annuere potuit.

Homines esse, qui semper dicant: Hercle, olim omnia meliora erant, Aemilius iam diu scivit. Et minime animum attendit, si quis dicebat olim aerem saniozem fuisse aut boves capita maiora habuisse. Nam hoc plerumque non verum erat, et isti homines tales erant, ut contenti esse nolint, quia aliter contenti essent.

Fundam iaccae dextram palpavit et tum demum, cum

pileum scholasticum n. = *Schulmütze*; **vacatne?** = *ist frei?*; **calceamentum, -i n.** = *Schuh*; **premebat** (*v. premere = drücken*); **anhelare** = *schnaufen; nach Luft schnappen*; **iuventus, iuventutis f.** = *Jugend*; **digitus pedis m.** = *Zeh*; **rhythmice Adv.** = *rhythmisch*; **aer, aeris m.** = *die Luft*; **bos, bovis m.** = *Rindvieh, Rind, Ochse*;



Primo: Aemilius ipse

Hic est, primo, Aemilius ipse. Caerulum indumentum diei solis gerens. Quod minime libenter induit et tantummodo, si ei necesse est. Indumenta caerula tam facile maculas accipiunt, terribile. Et tum mater Aemilii peniculum vestis madefacit, puerum inter genua premit, purgat et deterget semper dicens: »Puer, puer! Tamen scis me tibi non aliud emere posse.« Et tum, semper sero, cogitare incipit eam per totum diem laborare, ut satis ad edendum habeant et Aemilius scholam mediam frequentare possit.

caerulus, -a, -um = blau; **indumentum, -i n.** = Anzug; **dies Solis m.** = Sonntag; **macula, -ae f.** = Fleck; **peniculum vestis n.** = Kleiderbürste; **madefacere** = befeuchten, nass machen; **genu, genus n.** = Knie; **purgare** = putzen; **detergere** = bürsten; **sero Adv.** = zu spät;